Quaestio medica Quodlibetariis Disputationibus agitanda in Scholis Medicorum

Die 5a novembris

M. Joanne Fraxino Moderatore.

An naturae robur in triplicis substantiae quantitate, et qualitate sit situm?

Ex duobus nostrae generationis principiis semine, et sanguine materno, tres in nobis substantiae gignuntur, solida caeterarum robur, ac firmamentum, Ex crassiore seminis portione ortum habet, quae caesta dissipari, resarciri non potest; carnosa e sanguine circa partes solidas concrescente ortum habet, quibus adversus rerum externarum iniurias magnum affert adiumentum: spirituosaq; triplex ex tenuiore seminis parte nata, tres facultates in hepate, corde, cerebro, sitas, per venas, arterias, nervos in universum corpus distribuitur.

His tribus substantiarum generibus sua quaedam a natura tributa est integritas ad vitam tuendam, morbosque profligandos maxime necessaria, quae in proba elementorum mixtione, moderata quantitate, et unione posita est. Cum quibus Naturae nostrum corpus regentis robur tantam habet societatem, ut iisdem omnino causis labefactetur, atque servetur, quibus illa corrumpi, et servari possunt.

Substantiarum integritas, immodice alterantibus, replentibus, et vacuantibus corrumpitur, alterant qualitates solae, vel cum humore coniunctae: earumq; maxime calidum, et frigidum, quorum excessus immodicus, maximam Naturae perniciem molitur, replent victus liberalior, menstruorum, haemorrhoidum atq; adeo omnis consuetae vacuationis suppressio, quidem vacuant inedia biliosis gravis, vomitus, sudores immoderati, sanguinis, seminis, omnium denique quae praeter naturam sunt immodica excretio.

Hic succedunt totius corporis refrigeratio, partium principum imbecillitas, orthopnoea, apoplexia, deliria, summa omnium virium oppressio, syncope, quibus contraria qualitatis mutatione (in qua par severitas esse non potest) plenitudinis evacuatione, et immodice vacuati restauratione succurrere.

Triplex corporis nostri substantia integra servatur, aere, cibo, potu, quantitate, et qualitate pro varia aetatis, et temporis natura multum diversis, hyeme et vere (quibus ventres solent esse Natura calidiores) copiosiora alimenta sicca adhibenda sunt, aestate vero et autumno et pauciora frigida humida. quae ubi in nostram substantiam mutata sunt pulsus magnos, et vehementes, ipsasq; partes nutritias robustiores reddunt.

Est igitur Naturae robur in Quantitate et Qualitate triplicis substantiae situm.



Proponebat Lutetiae M. Simon Petreius Moldensis. Anno reparatae s. h. M.D.XLVIII.